



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De humili sentire suiipsius. II

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-45790)

## CAPVT II.

*De humili sentire suipius.*

1. **O** Mnis homo naturaliter scire desiderat, sed sciētia sine timore  
Dei quid importat? Melior est profectò humilis rusticus,  
qui Deo seruit; quām superbis philosophus, qui se neglecto cur-  
sum cœli cōsiderat. Qui bene seipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit,  
nec laudibus delectatur humanis. Si sc̄rem omnia, quæ in mun-  
do sunt, & non essem in charitate, quid me iuuaret coram Deo,  
qui me iudicaturus est ex facto?

*Ecclesi. I. &  
Arist. lib. I.  
metaph. c. I.*

2. Quiesce à nimio sciendi desiderio, quia magna ibi inue-  
nitur distractio & deceptio. Scientes libenter volent videri, &  
sapientes dici. Multa sunt, quæ scire parum vel nihil animæ pro-  
funt. Et valde insipiens est, qui aliis intendit, quām his, quæ sa-  
luti suæ deseruiunt. Multa verba non satiant animam, sed bona  
vita refrigerat mentem: & pura conscientia, magnam præstat  
ad Deum confidentiam.

3. Quanto plus & melius scis, tanto grauius inde iudicaberis,  
nisi sanctius vixeris. Noli ergo extolli de ylla arte vel scientia;  
sed potius time de data tibi notitia. Si tibi videtur, quid multa  
scis, & satis bene intelligis; scito tamen, quia sunt multo plura,  
quæ nescis. Noli altum sapere, sed ignorantiam tuam magis fa-  
ttere. Quid te vis alicui præferre, quum plures doctiores te inue-  
niantur, & magis in lege periti? Si vis utiliter aliquid scire &  
discere, ama nesciri, & pro nihilo reputari.

*1. Cor. 8.*

*Rom. 12.*

4. Hæc est altissima & utilissima lectio, suipius vera cogni-  
tio & despectio. De seipso nihil tenere, & de aliis semper bene &  
altè sentire, magna sapientia est & perfectio. Si videres alium  
apertè peccare, vel aliqua grauia perpetrare, non deberes te ta-  
men meliorem aestimare; quia nescis quām diu possis in bono  
stare. Omnes fragiles sumus, sed tu neminem fragiliorem te ip-  
so tenebis.

*Gen. 2.*

## CAPVT III.

*De doctrina veritatis.*

1. **F**elix, quem veritas per se docet, non per figuras & voces *Psal. 93.*  
transfuentes, sed sicuti se habet. Nostra opinio & noster  
sensus s̄epe nos fallit, & modicum videt. Quid prodest magna  
cauillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus nec arguemur *Ecclesi. 3.*

X 2

in